

dam modum ad quem pertingit; non autem habet modum in quo sistat, vel sistere debeat, sicut (1) est in aliis virtutibus.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. 1. art. 1. quædam res per cognitionem quodammodo trahitur ad cognoscentem: & ideo ea quæ ad cognitionem pertinent, ex potentia cognoscentis sunt mensurata, quamvis veritas cognitionis ad rem mensuretur. Sed per amorem amans trahitur ad ipsam amatam: & ideo amor (2) mensurandus est ad ipsam rem amatam magis quam ad amantem.

Ad tertium dicendum, quod quantumcumque Deus diligatur, actus non erit immoderatus, quia non excedit proportionem sui objecti.

Ad quartum dicendum, quod hoc quod dicitur, quod charitas non habet modum, intelligitur quantum ad actum quem charitas elicit, non quantum ad actus quos imperat: quia illi modos accipere debent ex ratione proprii objecti circa quod fiunt.

ARTICULUS IV.

Utrum modus diligendi qui est in præcepto, possit in via servari.

2. 2. quæst. XLIV. art. 6.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod modus ille qui in præcepto implicatur, possit in via servari: quia Hieronymus (a) dicit, in expos. cat. fid. Qui dicit Deum homini aliquid impossibile præcepisse, anathema sit. Sed hoc Deus præcepit omnibus existentibus in statu viæ. Ergo hæreticum est dicere, quod non possit in via observari.

2. Præterea: Charitas est magis necessaria virtus quam aliæ. Sed (3) præcepta data de actibus aliarum virtutum, in via possunt impleri. Ergo & præceptum datum de actu charitatis.

3. Præterea. Omne præceptum legis ligat, quia lex à ligando dicitur. Sed nullus potest dimittere illud ad quod obligatus est, quin peccet. Si ergo lex aliquid præcipiat quod observari non possit, non solum occasionaliter, ut dicit Apostolus, sed etiam directe occideret; & sic erit mala, quod est inconveniens.

Sed contra. Non possumus in hac vita sine peccato manere, sicut patet I. Joan. 1. Sed cum quis peccat, non diligit Deum ex toto corde. Ergo illud præceptum non potest totaliter impleri in via.

Præterea. Non potest homo simul cor ad multa habere. Sed oportet, dum in hac vita sumus, quod cor rebus temporalibus aliquando apponamus. Ergo non potest homo in hac vita Deum ex toto corde diligere.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod totum, & perfectum idem est, ut dicit Philosophus. Ratio autem perfecti in hoc consistit, ut nihil ei desit. Sed hoc contingit dupliciter: aut ita quod nihil desit eorum quæ natum est habere; aut ita quod nihil desit eorum quæ debet habere; sicut aliquis habet perfectam quantitatem, quando habet tantam quantitatem quantum re-

quirit humana natura, etsi non habeat quantitatem gigantis, quam possibile est esse in humana natura.

Prima ergo perfectio humanæ naturæ est in statu gloriæ, quando homo habebit totam hoc quod possibile est esse in humana natura; sed secunda perfectio est naturæ conditæ, quando scilicet homo habuit totum hoc quod debet habere secundum tempus illud. Et secundum hoc etiam duplex totalitas in dilectione Dei attenditur. Una, qua nihil deerit de his quæ homo potest expendere in amorem Dei, quin in dilectione ponat, & hæc quidem perfectio, seu totalitas, non præcipitur, ut faciendâ; sed magis ostenditur, ut sciatur quo perveniendum est, ut dicit Augustinus: (b) (4) & per hanc perfectionem, seu totalitatem excluditur omne quod etiam ad tempus actum dilectionis interrumpere posset. Alia secundum quam nihil homo subtrahit de his quæ debet ponere secundum tempus illud in amore Dei; & hæc perfectio, seu totalitas ponitur in præcepto etiam ut nunc implenda, ut scilicet nihil omittat eorum quæ ponere debet in amore Dei; & hæc totalitas excludit omne illud quod est contrarium, & repugnans dilectioni divinæ, non autem illud quod ad tempus actum dilectionis interrumpere posset. Alia secundum actum virtutis, non est nisi eorum qui sunt in statu beatitudinis: quia perfectio felicitatis est in operatione; perfectio autem virtutis est in habitu.

Ad primum ergo dicendum, quod illud quod præcipit lex ut faciendum, impleri potest, & impletur ab omnibus in statu salutis.

Ad secundum dicendum, quod actus aliarum virtutum non sunt finis præcepti, quemadmodum actus charitatis; & ideo actus charitatis habet aliquem modum, qui competit uno modo fini, & alio modo viæ; non autem ita est in aliis virtutibus.

Ad tertium dicendum, quod secundum hoc quod ponitur ut legis præceptum, secundum hoc ligat ad id quod implendum est in via; quantum vero ad id quod de ipso impletur in patria, magis ponitur ut documentum fidei, quam ut præceptum legis.

Ad alia etiam patet solutio per ea quæ dicta sunt.

EXPOSITIO TEXTUS.

NON ergo jam se diligit. Contra. Omne peccatum, secundum Augustinum, XIV. de Civit. Dei cap. xxviii. est ex amore sui. Ergo videtur etiam quod immoderate se diligit. Dicendum, quod diligit in se naturam exteriorem, quam se æstimat esse, non autem naturam intellectivam, secundum quam vere est id quod est; & ita diligit id quod se esse existimat, non autem id quod vere est: quia unaquæque res proprie est id quod est potissimum in ipsa, sicut civitas est Rex, ut dicit Philosophus IV. Ethic. cap. ix.

Sic condita est mens humana ut numquam sui non meminerit, numquam se non intelligat, numquam se non diligit.

De his quæ in hac notula dicuntur, dictum est in I. Lib. dist. 111.

Ex toto corde, idest ex toto intellectu; ex tota anima, idest voluntate; ex tota mente, idest memoria. Sciendum quod ad charitatem exigitur aliquid tripliciter. Uno modo sicut subjectum charitatis, quod est ipsa voluntas; alio modo sicut præcedens ad cha-

(1) Al. & in aliis. (2) Al. mensuratus. (3) Al. deest præcepta. (4) Al. & propter hanc.

Ex edit. P. NICOL. (a) Immo Pelagius catholicum fingens in epistola quam ad Innocentium I. scripsit, sed quæ Innocentio jam defuncto pervenit ad Zozymum Innocentii successorem, ut Augustinus notat.

(b) Lib. de perfectione justitiæ ad interrogationem xvii.

ritatem, sicut memoria, & intelligentia; tertio sicut consequens ad charitatem, quemadmodum irascibilis, & concupiscibilis, & etiam membra corporalia quæ imperium charitatis exequentur. Quia ergo actum charitatis oportet esse perfectum, sicut cujuslibet virtutis, ideo præceptum de actu charitatis includit perfectionem omnium prædictorum secundum diversas expositiones; ut scilicet neque in voluntate, neque in omnibus præcedentibus, aut sequentibus aliquid sit quod charitati obsistat quantum ad perfectionem viæ, vel quod actum charitatis interrumpere possit quantum ad perfectionem patriæ. Et ideo secundum unam expositionem dicitur: Ex tota mente, idest ex tota memoria, ut absit oblitio; ex toto corde, idest intellectu, ut desit error; ex tota

anima, idest voluntate, ut tollatur omnis contraria affectio. Alio modo exponitur: Ex toto corde, quantum ad concupiscibilem; ex tota anima, quantum ad irascibilem, ut nulla passione sensitivi appetitus dilectio Dei impediatur; ex tota mente, quantum ad rationalem, quæ includit voluntatem, & intellectum. Item Gregorius Nyssenus, tract. de creatione hominis cap. viii. exponit: Ex toto corde, quantum ad animam vegetabilem; ex tota anima, quantum ad sensibilem. Ex tota mente, quantum ad rationalem. Sed Deuter. vi. ponitur: Ex tota fortitudine, quod referendum est ad membra exteriora, quæ imperium charitatis exequentur; vel etiam ad irascibilem, ut quidam dicunt; vel ponitur circumstantiam dilectionis, ut scilicet sit firma.

DISTINCTIO XXVIII.

Si illo præcepto jubemur diligere totum proximum.

HIC potest quæri, utrum illo mandato dilectionis proximi totum proximum, idest animam, & corpus, nosque ipsos totos diligere præcipiamur. Ad quod dicimus, omne genus diligendum in rerum illis duobus mandatis contineri. Quatuor enim diligenda sunt, ut ait Augustinus, Lib. I. de Doct. Christ. cap. xxi. Unum quod supra nos est, scilicet Deus; alterum quod nos sumus; tertium quod juxta nos est, scilicet proximus; quartum quod infra nos est, scilicet corpus. De secundo, & quarto nulla præcepta danda erant, scilicet ut diligereinus nos, vel corpus nostrum. Præcipitur autem Deus diligi, & proximus. Ut autem quisque se diligit, præcepto non est opus: quantumlibet enim homo excedat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui: quia nemo unquam carnem suam odio habuit, Ephes. v. 29. Nam viri justi qui corpus suum cruciant, non corpus, sed corruptiones ejus; & pondus oderunt. Hic videtur Augustinus tradere, quod ex præcepto non teneamur diligere nosmetipsos, vel corpus nostrum. Quod si est, non omne genus diligendum rerum illis duobus præceptis continetur: quia cum & nos ipsos, & corpus nostrum diligere debeamus; ad quid necessarium est præceptum, cum scriptum sit, Psalm. x. 6. Qui diligit (1) iniquitatem, odit animam suam? Sed speciale de hoc præceptum non erat dandum, (2) nec speciali præcepto opus erat id tradi, ut quisque se, vel corpus suum diligeret: quia hoc in illo præcepto continetur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ibi enim & proximum totum, & te totum intelligere debes. Unde Augustinus in eodem Lib. cap. xxvi. Si te totum diligas, idest animam, & corpus, & proximum totum, idest animam, & corpus (homo enim ex anima constat, & corpore) nullum rerum diligendum genus in his duobus præceptis prætermisum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, & sequatur dilectio proximi, de tua dilectione nihil dictum videtur. Sed cum dictum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum: simul & tui abs te dilectio prætermissa non est. Ecce hic aperte dicit, in illo præcepto non tantummodo proximi, sed etiam mei contineri dilectionem, & totius proximi, totiusque mei. Ex quo apparet quod dictum est de secundo, & quarto, idest de dilectione nostri, & corporis nostri, nulla præcepta esse danda, ita esse intelligendum, scilicet (3) specialia, & divisa, quia in illo uno totum continetur. Et quia id quod sumus, & quod infra nos est, ad nos tamen pertinens, naturæ lege diligimus, quæ etiam in bestiis est; ideo & de illo quod supra nos, & de illo, quod juxta nos est, divisa præcepta sumpsimus: in quorum altero ejus quod sumus, & illius quod infra nos est dilectio continetur.

Si in illo præcepto contineatur dilectio Angelorum.

Oritur autem hic de Angelis quæstio, utrum ad illud præceptum dilectionis proximi etiam dilectio pertineat Angelorum. Nam quod nullum hominem exceperit qui præcepit proximum diligere, Dominus in parabola semivivi derelicti ostendit, eum dicens proximum qui erga illum extitit misericors: deinde subdit, Luc. x. 36. Vade, & tu fac similiter: ut eum proximum intelligamus cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget; vel exhibendum esset, si indigeret. Nullum vero exceptum esse, cui misericordiæ negandum sit officium, quis non videat? cum usque ad inimicos porrectum sit, Domino dicente, Matth. v. 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Manifestum est igitur præcepto dilectionis proximi omnem hominem esse deputandum proximum.

Quod hoc nomen proximus ad aliquid est.

Proximi vero nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Unde consequens est, & cui præbendum, & à quo præbendum est officium misericordiæ, recte proximum dici. Manifestum est igitur præcepto dilectionis proximi etiam sanctos Angelos contineri, à quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia. Ex quo & Dominus proximum nostrum se dici voluit, ut in parabola saucii, In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. inimicum. (2) Al. nec spirituali. (3) Al. spiritualia. Rr 2 Luc.

LUC. x. significat. Et in Propheta, Psalm. xxxiv. 14. „ Quasi proximum sic „ complacbam. „ Sed quia excellentior, ac supra nostram naturam est divina substantia, præceptum dilectionis Dei à proximi dilectione distinctum est. Ideoque licet Deus omnia nobis impendat beneficia; non tamen nomine proximi includitur in illo præcepto, quem non sicut nos diligere debemus, sed plusquam nos toto corde, & tota anima. Christum vero, in quantum homo est, sicut nos diligere debemus, ejusque secundum hominem dilectio illo continetur mandato: quem etiam secundum hominem magis quam nos, sed non quantum Deum debemus diligere: quia in quantum est homo, minor est Deo. Ex Augustino Lib. I. de Doct. Christ. cap. xxx.

Quibus modis dicitur proximus.

HIC notandum est, proximum dici diversis modis, scilicet conditione primæ nativitat, spe conversionis, propinquitate cognationis, ratione beneficii exhibitionis.

DIVISIO TEXTUS.

HIC determinat de charitate per comparationem ad ipsum diligibile: & dividitur in duas partes. In prima inquirat quid sit per charitatem diligendum; in secunda quo ordine, dist. xxix. ibi: Post prædicta de ordine charitatis agendum est. Prima in tres. In prima ostendit ad quos se extendit præceptum charitatis quantum ad homines; in secunda quantum ad Angelos; ibi: Oritur autem hic quæstio; in tertia elicit ex dictis quamdam distinctionem, ibi: Hic notandum est. Circa primum duo facit. Primo determinat veritatem; secundo removet dubitationem, ibi: Hic videtur Augustinus tradere, quod ex præcepto non tenemur diligere nosmetipsos.

QUÆSTIO I.

HIC quærentur septem. Primo. Utrum virtutes sint ex charitate diligendæ. Secundo. Utrum (1) inanimata. Tertio. Utrum Angeli. Quarto. Utrum demones. Quinto. Utrum mali homines. Sexto. Utrum homo ex charitate seipsum diligere possit. Septimo. Utrum proprium corpus.

ARTICULUS I.

Utrum virtutes sint diligendæ ex charitate.

2.2. quæst. xxv. art. 1. & I. dist. xvii. q. 1. art. 5.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod virtutes ex charitate sint diligendæ. Augustinus enim dicit, Lib. VIII. de Trin. c. vii. & viii. Qui diligit fratrem, dilectionem qua diligit, magis diligit. Sed dilectio qua proximus diligitur, est virtus charitatis. Ergo virtutes ex charitate sunt diligendæ, cum proximus diligatur ex charitate.

2. Præterea. Propter quod unumquodque tale, & illud magis. Sed amicitia vera diligit amicum propter honestum. Ergo diligit honestum etiam magis quam amicum. Ergo & charitas, quæ est amicitia quædam, ut dictum est, distinct. xxvii. quæst. 11. art. 1. corp. magis est dilectiva virtutum quam etiam proximorum.

3. Præterea. Actus primi, & actus reflexi super eos ad eandem potentiam pertinent, quia sunt ejusdem rationis; sicut intelligere aliquid intelligibile, & intelligere se intelligere. Sed ad actus ejusdem rationis pertinet eadem virtus. Ergo cum per charita-

tem diligatur proximus, per charitatem diligetur dilectio qua diligitur proximus, & eadem ratione alia virtutes.

4. Præterea. Ex charitate diligenda sunt illa quæ ad beatitudinem referuntur. Sed virtutibus in beatitudinem ducimur, & nobiscum manent in beatitudine. Ergo virtutes ex charitate sunt diligendæ.

5. Præterea. Charitas est dilectio finis ultimi. Sed ultimus finis nostræ vitæ est beatitudo. Ergo beatitudinem ex charitate diligere debemus. Sed virtutes, & gratiæ, cum consummiantur, in beatitudinem transeunt. Ergo virtutes diligendæ sunt ex charitate.

Sed contra est quod Augustinus, in I. Lib. de Doct. Christ. cap. xxxiii. sufficienter enumerat ea quæ sunt diligenda ex charitate, & nullam mentionem facit de virtutibus, ut patet in littera.

Præterea. Illud quod propter nos tantum diligimus, non diligitur ex charitate: quia charitas non querit quæ sua sunt: I. Corinth. xlii. 5. Sed virtutes propter nos tantum diligimus, quia in seipsis non subsistunt, cum accidentia sint: unde neque bonitatem habent, nisi secundum quod in nobis sunt. Ergo non sunt diligendæ ex charitate.

Præterea. Illa sola sunt ex charitate diligenda quæ nobiscum participant beatitudinem. Sed virtutes, cum sint accidentia, non sunt capabilia (2) beatitudinis, nec etiam vitæ. Ergo non sunt ex charitate diligendæ.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum charitas amorem includat, & aliquid addat, diligi aliquid ex charitate contingit dupliciter. Uno modo sicut id ad quod amicitia charitatis terminatur; & hoc modo non diligitur ex charitate nisi illud ad quod nata est amicitia esse. Amicitia autem non potest esse ad virtutes, nec ad aliqua accidentia propter duo. Primo quia amicitia facit ut homo velit amicum esse, & bona habere. Accidentia autem non habent esse per se, nec bonitatem per se, sed eorum esse est eis in substantiis: unde quod volumus virtutes, & accidentia esse, hoc ad substantiam refertur, quam volumus sub illis accidentibus esse, vel bene esse habere. Secundo quia amicitia consistit in quadam societate, secundum quod amati seipsos redamant, & eadem operantur, & simul conversantur: unde amicitia non potest esse nisi ad aliquid quod sit natum agere. Et quia agere non est accidentium, sed substantiarum, ideo non potest esse amicitia ad virtutes, neque ad alia accidentia: & ideo non possunt virtutes diligi ex charitate, sicut ad quæ charitas terminetur. Alio modo potest aliquid diligi ex charitate sicut ad quod terminatur amor (3) (seu dilectio) qui in charitate

(1) Al. animata. (2) Seu capacia. (3) In edit. Nicolai dicitur seu dilectio, non ab. (c) . . .

SOLUTIO.

includitur, quamvis ad illud amicitia non sit; & hic amor ordinatur ad amorem alicujus quod principaliter amatur, & concupiscentiæ dilectio dicitur; sicut amicus dicitur amare sanitatem amici sui: & hoc modo virtutes ex charitate diliguntur.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur de dilectione quæ Deus est, qua diligitur proximus effective, & exemplariter.

Ad secundum dicendum, quod virtus, vel honestum non est causa finalis quare amicus diligitur, sed formaliter facit eum diligibilem: unde non sequitur quod virtus sit magis diligibilis, vel eadem ratione diligibilis; sicut non sequitur quod albedo sit magis alba quam corpus album.

Ad tertium dicendum, quod diligitur dilectionem, ad charitatem pertinet, sed non sicut ad quod charitas terminatur.

Ad quartum dicendum, quod charitas terminatur ad illa quæ ad beatitudinem referuntur sicut possibile participare beatitudinem. Sic autem non refertur ad beatitudinem virtus, quia virtus beata fieri non potest.

Ad quintum dicendum, quod finis ad quem principaliter terminatur charitas, est ipsa beatitudo in creatura. Sed de beatitudine creata est eadem ratio & de virtutibus.

ARTICULUS II.

Utrum creaturæ irrationales ex charitate sint diligendæ.

1.2. quæst. xv. art. 3. & de verit. quæst. 11. art. 7.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod creaturæ irrationales ex charitate diligendæ sint. Omnis enim dilectio meritoria ad charitatem pertinet. Sed aliquis potest meritorie diligitur aliqua irrationalia, sicut cum quis diligit ea referendo in Deum, vel quia factæ sunt à Deo; vel quia juyant tendentes in Deum. Ergo creaturæ irrationales sunt diligendæ ex charitate.

2. Præterea. Charitas facit hominem conformem Deo in diligendo. Sed Deus ex charitate diligit creaturas irrationales. Sapient. xi. 25. Diligis omnia quæ sunt. Ergo & homo ex charitate creaturas irrationales diligit debet.

3. Præterea. Creaturæ rationales sunt ex charitate diligendæ, quia in ipsis est similitudo Dei. Sed in creaturis irrationalibus invenitur aliqua similitudo Dei, licet non tanta sicut in rationalibus. Ergo irrationalia sunt ex charitate diligendæ.

4. Præterea. Fides est virtus theologica, sicut & charitas. Sed fides extendit se etiam ad irrationales creaturas, secundum quod homo eas à Deo creatas credit; & divina providentia regit. Ergo & charitas.

Sed contra, Augustinus dicit, Lib. I. de Doct. Christ. cap. xxxiii. quod illa sola sunt ex charitate diligenda quæ nobiscum societate quadam referuntur in Deum. Sed irrationalia non sunt hujusmodi. Ergo non sunt ex charitate diligenda.

Præterea. Charitas includit benevolentiam, ut supra dictum est, dist. xxvii. art. 1. Sed benevolentia non potest esse ad irrationalia, ut dicit Philosophus in VIII. Ethic. cap. 11. Ergo nec charitas.

(1) Sic exempla omnia, & mss. teste ipso Nicolajo, qui ad marginem supplet. Dilectio inanimatorum ad charitatem pertinet sicut eorum quæ aliis volumus tanquam bona, non sicut ad quæ charitas habeatur. (1)